Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35430
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift



Omnia quæcumque habet pater mea sunt. propter hoc dixi quia de meo accipiet et annuntiabit vobis. Secundum Johannem.

Cum venerit paraclitus quem ego mittam vobis a patre spiritum veritatis qui a patre procedit. ille testimonium perhibebit de me. et vos testimonium perhibebitis. quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis. ut non scandalizemini. absque synagogis facient vos. Sed venit hora. ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se prestare deo. Et hæc facient vobis. quia non noverunt patrem neque me. Sed hæc locutus sum vobis. ut cum venerit hora eorum reminiscamini quia ego dixi vobis. De scō. s. Paulo Corinth.

Fratres. Unicuique datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alii quidem per spiritum datur sermo sapientiæ. alii autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum. Alteri fides in eodem spiritu. alii gratia sanitatum in uno spiritu. alii operatio virtutum. alii prophetia. alii discretio spirituum. alii genera linguarum. alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem spiritus. dividens singulis prout vult. Secundum Johannem.

Si diligitis me. mandata mea servate. Et ego rogabo patrem. et alium paraclitum dabit vobis. ut maneat vobiscum in æternum. spiritum veritatis quem mundus non potest accipere.